



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio II. De peccato mortali & veniali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

randi cor suum: sicut enim boni in bonum suum omnia solent convertere, juxta illud Apostoli, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: ita è contrario mali, Deo iustissime illos deferente, omnia siye bona, siye mala, siye indifferentia, vertunt in suam perniciem. In quo imitantur aegros, in quibus quilibet medicamenta, quantumvis ex se salubria, & à sapiente Medico ad sanandum adhibita, vitium stomachi noxia efficit, & in venena convertit.

DISPUTATIO II.

De peccato mortali & veniali.

ARTICULUS I.

Utrum detur peccatum mortale, & unde habeat ut sit mortale.

RESPONSIO I.

Datur peccatum mortale.
Prob. Quia peccatum mortale dicitur illud, quod affert mortem animæ, privando illam vitam spirituali, & æterna pœna per se dignum est. Atqui dantur peccata hujusmodi. Ergo, &c. *Prob. min.* ex Script. Nam Rom. c. 6. dicitur: *Stipendia peccati mors*. Et ead. epist. c. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Et Gal. c. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Et Apocal. cap. 21. *Homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatriis, & omnibus mendacibus, hoc est fraudatoribus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*. Ergo, &c. Sed pro sequenti responsione.

Nota. Peccatum mortale considerari potest sub duplici respectu. 1. Præcisè, quatenus repugnat rectæ rationi, dicantur illud naturam rationalem, qualem, dedecere, & sub hoc respectu habet malitiam purè moralem, quæ philosophica dicitur, quia ad Philosophos potissimum pertinet de illa tractare. 2. Quatenus repugnat legi divinæ, illud prohibenti, & sub hoc respectu habet malitiam theologiam, sic dictam, quia Theologorum potissimum est, de illa agere. Hæc autem malitia in hoc consistit, quod peccatum mortale sit gravis transgressio legis divinæ, ac proinde gravis violatio juris divini, seu gravis injuria Dei, & consequenter Dei offensio gravis, ac illius quidam contemptus virtualis & interpretativus: nam qui peccat mortaliter, legem Dei, aliquid pro jure suo graviter præcipientis, vel prohibentis, transgreditur graviter, ac proinde graviter violat jus divinum, seu gravem injuriam facit Deo: unde graviter illum offendit, & meritò censetur vilipendere auctoritatem & amicitiam illius. Hinc Deus de graviter peccantibus loquens, sic ait lib. 1. Reg. c. 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. Et Ilajæ cap. 1. *Ipsi autem spreverunt me*. Porro peccatum mortale est etiam quandoque formalis & directus Dei contemptus; ut patet in odio Dei, blasphemia, perjurio, &c. in quo non est difficultas. His autem præsuppositis, sit

RESPONSIO II.

Peccatum mortale tale est, non ex eo præcisè quod graviter dedecet naturam rationalem, qualem, seu ex eo præcisè quod graviter repugnet rectæ rationi, illud reprobanti, ut dissentancum naturæ rationali, quæ tali: sed ex eo potissimum quod sit gravis offensio Dei, & quidam divinæ majestatis & amicitie contemptus vel formalis, vel saltem virtualis & interpretativus.

Prob. Nam peccatum mortale, quæ mortale, habet infinitam quandam gravitatem in ratione malitiæ; dignum est privatione gratiæ sanctificantis, & pœna æterna, & insert in pura creatura qualibet, siye existente, siye merè possibili, absolutam impossibilitatem pro eo condignè satisfaciendi. Atqui

hæc omnia habere non potest ex eo præcisè quod graviter naturam rationalem dedecet, sed habet saltem potissimum ex eo quod gravis est offensio Dei, & quidam contemptus majestatis divinæ, quæ infinitæ simpliciter est excellentiæ. Ergo, &c.

Obj. 1. Adulterium v. g. prius malum est, quam prohibitum; non enim malum est, quia prohibitum, sed è contra prohibitum est, quia malum. Ergo prius mortale est, quam prohibitum, & consequenter quam sit gravis offensio Dei, & quidam contemptus illius; cum non sit gravis offensio, & aliquis contemptus Dei, nisi quia est contra gravem Dei prohibitionem, & sic prius sit, illud esse graviter prohibitum à Deo, quam esse illius offensiam gravem, & contemptum aliquem.

R. dist. Adulterium prius malum est malitia objectiva, imò & malitia aliqua formali, quam sit prohibitum, C. ant. Prius est malum malitia mortali, N. ant. *Ad prob. dist.* similiter. Adulterium non est malum malitia objectiva, aut etiam malitia aliqua formali, purè morali, quia prohibitum est, C. Non est malum mortaliter, N. Itaque in adulterio triplex distinguenda est malitia, malitia scilicet objectiva, malitia formalis purè moralis, & malitia theologica, quæ mortalis est. Primam habet independentem ab omni prohibitione divina, quia per se & essentialiter dedecet naturam rationalem, nec potest, etiam seclusa omni prohibitione divina, nisi turpiter appeti. Item secundam habet independentem ab omni prohibitione divina; quia etiam si per impossibile non esset prohibitum à Deo, adhuc esset actus turpis, & ad magnam aliquam pœnam imputabilis, utpotè graviter dedecens naturam rationalem, & graviter repugnans rectæ rationi, cui tanquam actuum suorum regulæ in facta suppositione teneretur homo ex natura rei se conformare. Tertiam verò malitiam non habet, nisi dependentem à divina prohibitionem, quia si per impossibile non esset à Deo prohibitum, homo non teneretur ab eo abstinere ob reverentiam divinæ majestati debitam, & illud committendo non violaret jus divinum, nec proinde Deum offenderet, aut ullo modo contemnere censeretur posset; sed solum tunc ageret contra naturam rationalem, eamque deturparet; quod quidem gravissimam mereretur pœnam: at non videtur tantam mereri, quanta est æterna damnatio, nec habere malitiam aliquo modo infinitam, & tantam, ut nulla pura creatura, quantumcumque supponatur perfecta, pro ea condignè satisfacere possit.

Dices. Ex concessis, adulterium, semota omni prohibitionem divinam, adhuc graviter repugnaret naturæ rationali & rectæ rationi, cujus Deus author est & vindex. Ergo adhuc esset graviter contra Deum, proindeque adhuc haberet malitiam mortalem. *R. neg. conf.* Nam in illa suppositione, quam impossibilem esse contendimus, & in qua adulterium nullo modo prohibitum esset à Deo, non esset contra voluntatem Dei, ex eo quod esset contra rationem, & ita ex eo quod esset contra rationem, non esset contra Deum. Unde qui in illa suppositione mæcharetur, censeretur non posset Deum graviter offendere, eumque contemnere, licet graviter delinqueret contra rationem, & sic graviter culpabilis esset, dignusque gravi pœna, quam ab eo repetere maxime pertineret ad Deum, qui naturæ rationalis author est, & rectæ rationis vindex.

Dices. Ergo fieri potest, ut quis liberè & scienter adulteretur, & tamen non peccet mortaliter. *R. neg. hanc conf.* Nam 1. in præsentī hypothēsi adulterium re ipsa à Deo graviter prohibetur, & hæc prohibitio ignorari non potest invincibiliter, præsertim ab eo, qui scit adulterium graviter repugnare naturæ rationali: nam hoc ipso non potest non sufficienter nosse, graviter prohibitum esse à supremo legislatore: cum enim in præsentī hypothēsi, rectæ rationis dictamen sit intrinsecum & essentialē complementum legis divinæ naturalis, non dicatur aliquid naturæ rationali graviter repugnare, quin simul & indivisibiliter dicatur

saltem

saltem confusè à supremo legislatore graviter prohibitum esse. 2. Imò nulla possibilis est hypothesis, in qua quis scienter & libere adulteretur, & tamen non peccet mortaliter; quia nulla possibilis est hypothesis, in qua adulterium non sit à Deo prohibitum graviter, & hæc prohibitio non intimeret sufficienter omnem per rationem cognoscentem adulterium graviter naturam rationalem dedecere. Hoc enim utrumque essentialiter postulat sanctitas & sapientia Dei condentis naturam rationalem, quam, ex hypothesi quod velit eam condere, non potest non regere modo sanctitati & sapientie suæ consentaneo. Hinc in quacumque hypothesi possibili peccatum pure philosophicum repugnat.

Obj. 2. Blasphemia, idem dic de omnibus aliis peccatis, quibus Deus directè contemnitur, est mala mortaliter, independentè ab omni prohibitione divina. Ergo est mala mortaliter ex eo præcisè, quod graviter repugnat rectæ rationi, & neg. conseq. Eset quidem blasphemia mortaliter mala, etiam per impossibile sublata omni prohibitione divina; at non esset talis ex eo præcisè, quod adhuc rationi repugnet graviter, sed quia adhuc esset æquivalenter prohibita per retentionem juris, quod habet Deus ne inhonoretur, cui ipse renuntiare non potest, & quo à nemine potest spoliari. Unde adhuc per blasphemiam graviter violaretur jus divinum, seu gravis Deo fieret injuria, proindeque adhuc graviter offenderetur.

ARTICULUS II.

Utrum præter peccatum mortale detur etiam veniale ex natura sua.

Nota. Nomen peccati venialis sumi potest tripliciter. 1. Pro veniali ex eventu. 2. Pro veniali ex causa. 3. Pro veniali ex natura sua. Peccatum veniale ex eventu dicitur illud, cujus veniam consequimur. Hoc sensu omnia peccata, siue levia sint, siue gravia, sunt venialia per poenitentiam, quia omnia per poenitentiam possunt remitti. Peccatum veniale ex causa dicitur illud, quod aliquo modo veniam meretur, quia factum est ex passione simpliciter antecedente, vel ex ignorantia, juxta illud Apost. 1. ad Timoth. c. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Denique veniale ex natura sua dicitur, quod per se nec affert mortem animæ, nec dignum est æterna pœna. De veniali in hac tertia acceptione hic agitur, in quascilicet veniale propriè opponitur mortali, quod per se & mortem animæ affert, & æterna pœna dignum est. Quæritur ergo hic tantum, utrum dentur peccata venialia ex natura sua, hoc est, peccata, quæ per se nec occidunt animam, nec æternam pœnam merentur.

Nota 2. Circa hanc questionem varii errarunt, & 1. quidem Jovinianus, teste S. Hieronymo in lib. 2. contra Jovinian. docuit omnia peccata esse paria, omniaque æterna pœna digna. 2. Pelagius quolibet peccato justitiam amitti docuit. Unde cum negare non posset multos esse justos, assererebat hominem in hac mortali vita absque omni peccato esse posse. 3. Joannes Vicleffus contendeat omnia peccata esse mortalia, si per mortale intelligatur illud, quod mortem æternam inducere potest; si verò per mortale intelligatur id, quod re ipsa mortem inducit, omnia reproborum peccata esse mortalia, electorum verò venialia. 4. Lutherus docuit omnia peccata ex natura sua mortalia esse, venialia verò ex sola Dei misericordia, ea non imputantis credentibus, & non credentibus imputantis omnia ad damnationem æternam; putavit enim homines sola fide justificari posse. 5. Lutherus consentit Calvinus; cum hoc tamen discrimine, quod voluerit nulla peccata imputari electis, reprobis verò imputari omnia; in quo Vicleffo assensus est. Sed contra hos omnes errores, & cum communi Theologorum catholicorum sententia, sit

RESPONSIO.

Præter mortalia peccata dantur etiam, quæ ex natura sua venialia sunt.

Prob. 1. ex Script. Nam 1. Christus Matth. c. 5. sic loquitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit consilio; qui dixerit, Fatue, reus erit gehenna ignis.* Christus autem his verbis recenset tres gradus iracundiæ. Primus ita levis est, ut in aullam vocem erumpat. Secundus paulò quidem gravior est, at non erumpit in apertum convitium. Tertius gravissimus est, & parit manifestum convitium. Atqui hic Christus generaliter loquitur de omnibus, nulla distinctione facta baptizatorum à non baptizatis, credentium à non credentibus, electorum à reprobis, & ex tribus iracundiæ gradibus recensitis tertium tantum manifestè significat pœnam æternam mereri, ac proinde tertium tantum esse mortale peccatum. Ergo manifestè significat duos priores iracundiæ gradus esse peccata per se venialia. Ergo, &c. Hoc inter mortalia & venialia peccata discrimen adhuc apertius exponit idem Christus Luc. c. 6. ubi sic ait: *Quid videtis festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Ubi peccatum mortale comparans cum trabe, quæ non solum oculum destruit, sed etiam totum corpus opprimit, veniale verò cum festuca, quæ oculum non destruit, sed leviter tantum lædit, nec corpus opprimit, sed leviter portatur, clarè ostendit se loqui de discrimine, quod inter mortale peccatum & veniale ex natura rei interest; & re ipsa cum proportionè aliqua tantum ex natura rei discrimen interesse inter mortale & veniale peccatum, quantum ex natura rei interest inter trabem & festucam.

2. Jacobi epist. can. c. 1. sic dicitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illeceus. Concupiscentia verò, cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi Apostolus tres concupiscentiæ motus distinguit, unum scilicet planè involuntarium, quo quis absque ulla suo consensu ad peccandum provocatur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illeceus.* Et hunc motum non esse peccatum ait Apostolus, sed causam peccati, accedente postea consensu. Secundum voluntarium, sed imperfectè tantum: *Concupiscentia verò, cum conceperit, parit peccatum.* Hunc autem motum vult Apostolus esse peccatum, sed veniale tantum; cum illum vocet peccatum, & distinguat à peccato consummato, quod mortem generat. Tertium denique perfectè voluntarium, qui proinde generat mortem, sique mortale peccatum est: *Peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Quod autem Apostolus per peccatum consummatum intelligat motum concupiscentiæ perfectè voluntarium, dubium esse non potest: non enim dici potest per peccatum consummatum intelligere peccatum opere perpetratum; alioqui desideria graviter illicita, nisi opere compleantur, non sunt peccata mortem generantia, quantumvis perfectè voluntaria sint. Quod est falsum, & ab ipsomet Christo damnatum Matth. c. 5. ubi ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

Prob. 2. autoritate, & 1. quidem summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. à quibus damnata est hæc xx. Baii propositio: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* 2. S. Augustini in Enchir. c. 71. *De quotidianis,* inquit, *brevisibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, Pater noster, qui es in celis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Et lib. de nat. & grat. c. 38. *Quia sepe in levissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* Et ser. 41. de Sanctis: *Allo transitorio igne (de quo dixit Apostolus, Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem) non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Ex quibus apparet, juxta S. Doctorem,

præ-

præter peccata capitalia seu mortalia, quæ iustitiam auferunt, alia esse venialia, quæ non auferunt iustitiam, non quia non imputantur, ut volunt Novatores; imputari enim apertè docet S. Doctor; sed quia per se minuta sunt, minima, levissima, vel aliquando incautis obrepunt, & sic non nisi imperfectè voluntaria sunt.

Prob. 3. ratione theologica. Peccata venialia ex natura sua dicuntur ea, quæ per se neque afferunt mortem animæ, neque digna sunt pœna æterna. Atqui dantur peccata, quæ per se neque afferunt mortem animæ, neque digna sunt pœna æterna. Ergo, &c. *Prob. 1. pars min.* Nam mors animæ consistit in privatione gratiæ sanctificantis, & habitualis iustitiæ. Atqui dantur peccata, quæ per se talia sunt, ut non privent hominem gratiæ sanctificantis, & habitualis iustitiæ: in iustis enim & sanctis reperiuntur, ut apertè docet S. Augustinus locis modò citatis. Et lib. 3. contra duas epistolas Pelag. c. 3. *Quidam*, inquit, *filiis seculi huius sunt, & tamen filii diaboli non sunt: quamvis enim diabolus sit author, & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli facient quæcumque peccata: peccant enim & filii Dei; quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas in eis non est.* Idem apertè docet Scriptura. Nam dicitur Proverb. c. 24. *Scipries in die cadet iustus.* Et Jacob. c. 3. *In multis offendimus omnes.* Ubi Apostolus potissimum de iustis loquitur. Secunda verò pars sequitur ex prima. Nam peccata, quæ non inducunt privationem gratiæ & iustitiæ, neque impossibilia sunt cum charitate, sed cum ea manent in iustis hominibus, nec inducunt, nec inducere possunt reatum æternæ damnationis; talis enim reatus esse non potest cum iustitiâ & charitate. Ergo, &c.

Obj. 1. Scriptura docet omnia indiscriminatim peccata esse ex natura sua mortalia. Ergo, &c. *Probat. ant.* Nam dicitur Rom. c. 6. *Sipendia peccati mors.* Et Ezech. c. 18. *Animæ, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et Math. c. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis minimus vocabitur in regno cælorum.* Et Jacobi c. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Et Deut. c. 27. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius.* Ergo, &c.

R. neg. ant. obj. Ad prob. *R. ad 1.* Apostolum loqui, non de quibuslibet peccatis, sed de gravibus, puta de adulterio, fornicatione, & aliis ejusmodi, de quibus erubescabant, qui recens ad fidem conversi erant. *R. ad 2.* Prophetam loqui de peccatis idololatriæ, homicidii, &c. quæ absolute & ex natura sua gravia sunt. *R. ad 3.* Christum non loqui de minimis peccatis, sed de minimis mandatis, & dicere Scribas & Pharisæos damnationem æternam mereri, eò quòd pleraque mandata divina pravè interpretarentur, & pravas suas interpretationes docerent homines; in quo graviter peccabant. *R. ad 4.* Apostolum loqui de gravibus peccatis, qualia sunt homicidium & adulterium: nam sic statim prosequitur: *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides.* Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. *Ad 5.* *R.* hæc verba intelligenda esse de eo, qui non observat præcepta, quæ capite citato recensentur, & quibus prohibentur idololatria, adulterium, homicidium, & alia similia gravia delicta.

Obj. 2. Omne peccatum est offensæ personæ infinitæ. Sed omnis offensæ personæ infinitæ infinitam habet malitiam. Item omne peccatum est contra legem Dei. Sed quod est contra legem Dei, meretur pœnam æternam. Item nullum peccatum potest esse licitum propter ullum bonum etiam infinitum: non nisi quia omne peccatum est infinitæ malitiæ. Item omne peccatum est transgressio huius maximi præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ergo omne peccatum expellit charitatem, proindeque omne peccatum affert mortem animæ.

R. ad 1. non omnia peccata graviter offendere personam infinitam, sed aliqua leviter tantum offendere,

Simonnet Theol. Tom. 1.

Quæ autem graviter offendunt, habent malitiam aliquo modo infinitam; secus verò, quæ leviter tantum. *R. ad 2.* omnia quidem peccata esse contra legem Dei, sed non omnia esse contra legem Dei graviter præcipientem vel prohibentem; neque omnia, quæ sunt contra legem Dei graviter præcipientem vel prohibentem, esse perfectè voluntaria, sed aliqua esse contra legem Dei leviter tantum præcipientem vel prohibentem, & aliqua, quæ sunt contra legem Dei graviter præcipientem vel prohibentem, esse tantum imperfectè voluntaria. Non possunt autem pœnam æternam mereri, quæ aut sunt tantum contra legem Dei præcipientem vel prohibentem leviter, aut si sunt contra legem præcipientem vel prohibentem graviter, sunt voluntaria imperfectè tantum. *R. ad 3.* nullum peccatum posse fieri licitum, non quia omne peccatum malitiam habet infinitam, sed quia omne peccatum, quæ tale, intrinsecè & essentialiter illicitum est, & ita tam repugnat peccatum esse licitum, quam repugnat actum aliquem simul esse & non esse peccatum. *R. ad 4.* hoc præceptum, *Diliges Dominum &c.* obligare nos ad hoc ut diligamus Deum super omnia, id est, diligamus Deum actu, quo parati sumus, potius carere omni bono, & pati omne malum, quam Deum offendere graviter. Unde peccata minuta & levia, quibus Deum leviter offendimus, non opponuntur huic præcepto. Quare neg. ant. universaliter sumptum.

Dices. Minima opera bona supernaturalia merentur vitam æternam. Ergo à contrario minima peccata merentur supplicium æternum. *R. 1.* nulla opera bona supernaturalia etiam in homine iusto mereri vitam æternam, nisi fiant ex motivo charitatis, aut ab ea imperentur. Opera autem, quæ sunt ex motivo charitatis, vel ab ea imperantur, sunt parva, sed magna opera, cum sint actus elicit, vel saltem imperati, virtutis omnium præstantissima. Similiter qualibet opera, etiam levissima, mala secundum se, si fiant ex motivo odii Dei, aut ab eo imperentur, merebuntur pœnam æternam, sed tunc erunt peccata gravissima. *R. 2.* opera supernaturalia, ab homine iusto facta ex motivo vel imperio charitatis, mereri vitam æternam, quia mercedem magnam merentur relatè ad dignitatem personæ præmiantis, & personæ præmiandæ, quæ alia esse non potest in æstimatione prudenti, quam vita æterna. At minuta & levia peccata, etiam ab homine peccatore facta, merentur quidem pœnam alicujus momenti relatè ad dignitatem personæ offensæ, sed quæ in prudenti æstimatione est infra pœnam damnationis æternæ, quæ in æstimatione prudenti æquivaleret pœnæ simpliciter infinitæ in acerbitate, sed non æternæ.

Obj. 3. S. Augustinus videtur variis locis docere homines damnari ob minuta & levia peccata; ut lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 3. *Quis cum aliqua spe adipiscenda salutis æternæ, de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur ... Superexultat autem misericordia iudicio?* Et tract. 1. in epist. Joan. *Ista levia, quæ dicimus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis; expavesce, quando numeras. Levitia multa faciunt unum grande. Multa guttæ implent flumen. Multa grana faciunt massam.* Et epist. 29. *Cum rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexalter misericordia iudicium?* Et lib. 9. Confess. c. ult. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.*

R. ad 1. S. Doctorem tria dicere. 1. Unicum grave peccatum ad æternam damnationem sufficere. 2. Neminem certò nosse se nullum ejusmodi peccatum unquam admisisse, aut si quæ admisit, sibi à Deo condonata esse. 3. Et ita neminem cum spe salutis adipiscendæ mori posse, nisi sciret se habere Dominum misericordem, & sic speraret se veniam à Domino misericordie consecutum esse.

Dd

R. ad 2.

R. ad 2. sensum S. Doctoris esse, non quod multa venialia, si maneant, æquare possint gravitatem unius mortalis; hoc enim aperte falsum est, cum peccata venialia, quantumcumque multiplicentur, neque tollant, neque minuunt habitum charitatis, sed solum actum ejus ac fervorem impediunt; nec poena temporaria, quam veniale meretur, quantumcumque multiplicetur, æquare possit poenam æternam, quam meretur mortale; sed quod venialia, si negliguntur & contemnantur, sensim ad mortale perpetrandum disponant, juxta illud Eccli. c. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

R. ad 3. & 4. S. Doctorem loqui de poena Purgatorii, quæ acerbissima est, ut ipse dicit in Plal. 37. *Gravior, inquit, tamen erit illa ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Nec aliud velle, quam ullum ita justum & sanctum hominem vix posse reperiri, qui poenam illam sine magna Dei misericordia evadere, & rectè e corpore in cælum avolare possit. Et verò his verbis, *Ve etiam laudabili, &c.* rationem reddit cur sit oraturus pro matre sua, cujus tamen sanctitatem tantopere commendaverat; & ne quis hoc miretur, dicit justorum vitam, quantumvis laudabilem, vix ac ne vix quidem, si divina misericordia removeatur, carere culpis venialibus acerbissima Purgatorii poena expiandis.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum mortale & veniale sint contra Dei legem, & finem ejus.

DE mortali dubium non est, quod sit contra legem Dei, & finem ejus. Et verò hæc peccati descriptio, dictum, vel factum, vel concupitum, supple formaliter, vel saltem interpretativè, contra legem Dei, & alia similes, propriè conveniunt saltem peccato mortali, & lex divina propriè prohibet saltem peccatum mortale. Præterea, finis legis est charitas, ut dicitur 1. ad Timoth. c. 1. quatenus scilicet lex divina eò spectat, ut diligamus Deum ex toto corde, & proximum sicut nosmetipsos. At mortale peccatum charitati opponitur: qui enim mortaliter peccat, nec diligit, nec potest diligere Deum super omnia in sensu composito peccati. Unde peccatum mortale charitatem expellit, neque cum ea, saltem de lege ordinaria, manere potest in eodem subjecto. Item de peccato veniali apud Catholicos omnes indubitatum est, quod non sit contra finem legis, quia cum peccato veniali diligimus Deum super omnia, & proximum sicut nosmetipsos. Unde peccatum veniale non expellit charitatem. Superest igitur una difficultas: utrum scilicet peccatum veniale sit contra legem Dei. Negant alii, ut Alexander, Bonaventura, &c. quibus faver S. Thomas q. 88. a. 1. ad 1. & dicunt veniale non esse contra, sed præter legem: Sed argumenta, quibus utuntur, probant tantum peccatum veniale non esse contra charitatem, quæ est finis legis. Alii verò affirmant, cum quibus sit

RESPONSIO.

Omne peccatum veniale est contra legem Dei, sive perfectè, sive imperfectè.

Prob. Quia omne peccatum veniale est actus, vel quasi actus moraliter malus: nam vel est moraliter malus, vel moraliter bonus aut indifferens. Non est autem moraliter bonus aut indifferens; alioqui non esset peccatum. Superest igitur, ut sit actus vel quasi actus moraliter malus. Atqui omnis actus vel quasi actus moraliter malus adversatur legi divine naturali: adversatur enim rectæ rationis dictamini, quod est intrinsecum & essentielle complementum legis divine naturalis. Ergo, &c.

Dixi autem, sive perfectè, sive imperfectè. Pro quo, *Nota.* Peccatum veniale aliud est veniale ex genere suo, quod scilicet ex genere suo non est contra charitatem, quæ est finis legis, ut verbum otiosum, risus nimius, &c. Aliud verò ex imperfectione operis,

quod ex genere suo habet, ut possit adversari charitati, ita ut sola imperfectio operis faciat, ut ne adversetur. Subdividitur in veniale ex subreptione, quod veniale est, quia non est plenè deliberatum; tales sunt subiti motus iræ, invidia, &c. quibus semi-plenè tantum voluntas consentit; & veniale ex parvitate materiæ, quod scilicet propter materiæ parvitatem notabile nocumentum non affert proximo. Tale est furtum unius oboli. Porro veniale ex genere suo est perfectè contra præceptum legis, leviter præcipiens vel prohibens, ut cum quis deliberatè mentitur. Item veniale ex parvitate materiæ est perfectè contra præceptum legis, prohibens vel præcipiens graviter quidem pro materia gravi, leviter verò pro levi materia, ut cum quis deliberatè furatur unum obolum diviti. At veniale ex subreptione est tantum imperfectè contra præceptum legis, aliquid graviter præcipientis vel prohibentis, ut cum quis subitaneo rei graviter illicitæ desiderio, imperfectè & ante plenam deliberationem consentit.

Quæres, in quo differant inter se peccatum mortale & veniale? *R.* Primam inter mortale & veniale differentiam in eo positam esse, quod peccatum mortale sit legis divine transgressio gravis, veniale verò levis tantum. Unde oriuntur plures alia differentia. Nam 1. mortale est gravis injuria Dei; veniale, levis tantum. 2. Mortale est gravis offensa Dei, & quidam contemptus illius, saltem interpretativus; veniale leviter tantum offendit Deum, & illum nullo modo contemnit. 3. Mortale dissolvit amicitiam cum Deo; veniale non dissolvit. 4. Mortale dignum est privatione gratiæ, & supplicio æterno; veniale non est dignum. 5. Mortale extinguit charitatem; veniale fervorem ejus impedit tantum. 6. Mortale tollit ordinem necessarium ad finem ultimum; veniale utilem tantum & congruum. 7. Mortale constituit saltem interpretativè finem ultimum in creatura, cui peccator adhæret, spreto & relicto Deo; veniale non constituit. 8. Mortale dat Deo jus graviter odio habendi, veniale leviter tantum indignandi. 9. Mortale inducit reatum poenæ æternæ; veniale verò reatum poenæ temporalis tantum.

Quæres, utrum peccatum veniale fieri possit mortale, vel contra?

R. 1. Peccatum veniale non fieri mortale per solam multiplicationem actus, & ita multa venialia non facere unum mortale. *Prob.* ex S. Thoma qu. 88. ar. 4. in O. ubi sic loquitur: *Quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale, falsum est: non enim omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale; quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum poenæ æternæ: peccatum autem veniale reatum poenæ temporalis. Patet etiam ex parte poenæ damni: quia peccatum mortale meretur carentiam visionis divine, cui nulla alia poena comparari potest. Patet etiam ex parte poenæ sensus, quantum ad vermem conscientia: licet forte quantum ad poenam ignis non sint improporcionabiles poenæ. Ex quibus verbis sic argumentor. Si aliqua venialium multitudo æquivaleret uni mortali, aliqua venialium multitudo tantum haberet de reatu, quantum habet unum mortale. Atqui nulla venialium multitudo, quantumcumque supponatur, habere potest tantum de reatu, quantum habet unum mortale. Nam v.g. unum mortale habet reatum poenæ æternæ. At nulla venialium multitudo, quantumcumque supponatur, facere potest reatum poenæ æternæ, sicut nulla poenarum temporalium collectio, quantumcumque supponatur, facere potest poenam æternam; cum nulla finitorum collectio facere possit infinitum. Ergo, &c.*

Obj. Famulus qui singulis diebus furatur domino suo unum denarium, singulis vicibus non peccat, nisi venialiter; & tamen si per totum annum perseveret in furto, contrahit peccatum mortale. Ergo multa venialia faciunt unum mortale. *R.* neg. consequ. Contrahit enim peccatum mortale, non quia collectio venia-

venialium, quibus singulis vicibus minutam summam furatus est, uni mortali aequivaler; sed quia minuta successivè furando, tandem pervenit ad summam, quæ ad peccatum mortale sufficit, & eam retinendo peccat mortaliter, cum sub mortali teneatur eam restituere. Adde quod à principio & deinceps singulis vicibus, non venialiter, sed mortaliter peccaverit, etiam minuta tantum singulis vicibus furando, si à principio & deinceps furatus est ex affectu furandi etiam minuta tantum, quacumque occasione data; hic enim affectus mortaliter malus est.

R. 2. omne peccatum mortale ex genere suo, posse esse veniale intra eandem speciem; at nullum peccatum veniale ex genere suo posse esse mortale, nisi in alia specie. *Prob. 1. pars.* Nam omne peccatum mortale ex genere suo potest esse veniale, vel ex indeliberatione actus, ut patet in subito motu superbiæ, vel invidia, cui imperfectè tantum consentit voluntas; vel ex parvitate materiæ, ut patet in actu, quo quis minutam summam furatur diviti. *Prob. 2. pars.* Quia mendacium v. g. quod est veniale ex genere suo, non potest esse mortale, nisi in duobus casibus. 1. Si illi addatur circumstantia graviter mala, & speciem mutans, ut si quis mentiatur propter homicidium perpetrandum. 2. Si mentiens ita ad mendacium afficiatur, ut ad mentiendum paratus sit ad legem aliquam graviter obligantem transgrediendam.

R. 3. eundem actum posse esse successivè veniale & mortale. *Prob. 1. de actu interiore.* Nam idem desiderium rei graviter illicitæ initio est solum peccatum veniale, si voluntas ei imperfectè tantum consentit initio; & postea est mortale peccatum, voluntate ei perfectè consentiente; & vicissim initio est mortale, si voluntas ei perfectè consentit initio, & postea fit veniale, si voluntas desinat ei perfectè consentire. *Prob. 2. de actu exteriori.* Quia manente eodem actu exteriori, potest actus interior, à quo exterior imperatur, è mortali fieri veniale, & è veniali fieri mortale peccatum, sive supponatur manere idem specie & numero, sive supponatur non manere: nam si malitia actus exterioris varietur per solam variationem obligationis, potest actus interior supponi manere idem specie & numero: at non potest, si malitia actus exterioris varietur per variationem motivi.

R. 4. eundem numero actum posse simul habere malitiam peccati mortalis, & peccati venialis. Nam v. g. si quis mentiatur propter grave furtum faciendum: actus ejus duplicem habet malitiam, unam oppositam veritati, quæ levis est, & alteram oppositam justitiæ, quæ est gravis. Propriè tamen loquendo, idem numero actus non potest dici peccatum mortale & veniale, quia propriè loquendo, peccatum mortale non dicitur nisi per exclusionem malitiæ tantum venialis, sicut veniale non dicitur, nisi per exclusionem mortalis malitiæ.

Quæres. quomodo discerni possit peccatum mortale à veniali? R. cum peccatum veniale sit triplex, unum scilicet ex genere suo, alterum ex parvitate materiæ, & tertium ex indeliberatione actus; ad discernendum veniale à mortali tres regulas assignari posse. Prima ex obligatione præcepti, secunda ex quantitate materiæ, tertia ex perfecta vel imperfecta deliberatione petitur.

Prima regula. Obligatio præcepti, contra quod peccatur, potest cognosci duobus modis, nempe ex Scriptura, si in ea continetur; & ex ratione naturali, si non continetur in Scriptura. 1. Itaque si præceptum continetur in Scriptura, Scripturæ verba ponderanda sunt. Nam si dicat eos, qui tale præceptum violant morte dignos esse, aut regno cælesti excludendos, aut abominabiles esse, aut aliud quid simile, sufficienter significat, gravem esse præcepti obligationem, proindeque peccatum quod contra illud committitur, esse mortale ex genere suo. 2. Si præceptum neque in divina, neque in humana Scriptura continetur, tunc ad rationem naturalem recurendum est, & considerandum utrum materia præcepta per se multum vel parum proficit ad charitatem Dei & proximi servandam.

Simonnet Theol. Tom. 5.

Item utrum per transgressionem præcepti graviter lædatur virtus aliqua ex iis quæ homini maximè necessariae sunt. Quod si materia præcepta multum prodest ad servandam charitatem Dei & proximi, aut virtus aliqua homini maximè necessaria graviter læditur per transgressionem præcepti, signum est gravem esse præcepti obligationem, & consequenter peccatum, quod contra præceptum committitur, esse ex genere suo mortale. Secus verò, obligatio præcepti levis est, & ita peccatum est veniale ex genere suo.

Secunda regula. Si vel ex Scriptura, vel ex naturali ratione constet præceptum obligare graviter, tunc ulterius considerandum est, utrum per quamlibet materiæ quantitatem graviter lædatur virtus, quæ est finis præcepti, an non. Nam si ad gravem virtutis læsionem requiritur materiæ gravitas, levitas materiæ excusat à peccato mortali, quantumvis præceptum sit grave, & in re magni momenti; quia leviter à præcepto gravi deficere, perinde est ac leve præceptum transgredi; & ita peccatum, quod ex genere suo mortale est, veniale est ex parvitate materiæ. Quenam autem sit materia gravis, vel levis, prudenti judicio relinquatur judicandum ex natura virtutis, ex cujus affectu aliquid præcipitur, vel prohibetur.

Tertia regula. Si præceptum grave est, & materia gravis, tunc ulterius adhuc considerandum est, utrum consensus hominis fuerit plenus & perfectus, an non. Quod si consensus non fuit plenus & perfectus, tunc peccatum, quod mortale est ex genere suo, veniale est ex subreptione, seu ex indeliberatione actus. Tunc autem consensus censetur fuisse plenus & perfectus, quando consentiens advertit ad malitiam actus, aut poruit & debuit advertere. Quod ex circumstantiis, in quibus consensus, prudenti judicio æstimandum relinquatur.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum mortale malitiam habeat aliqua modo infinitam.

Nota. Non agitur hic de malitia purè morali, quam habet peccatum mortale, quæ naturam rationalem graviter dedecet; hanc enim malitiam omnino finitam esse, facile consentiunt omnes: sed de malitia theologica, quam habet quæ Deum graviter offendit, eumque aliquo modo contemnit. Pro quo distinguenda est duplex malitia infinita, una scilicet infinita simpliciter, altera verò infinita secundum quid tantum. Malitia simpliciter infinita, in ratione scilicet malitiæ, esset ea, quæ infinitos haberet gravitatis gradus, virtualiter inter se distinctos, ita ut illos per mentem successivè distinguenti & numeranti, impossibile esset omnes pertransire, & ad ultimum pertingere: infinitum enim simpliciter in aliqua ratione dicitur illud quod in ea ratione successivè pertransiri & exhaustiri non potest; vel, si vis, malitia simpliciter infinita esset ea, quæ careret termino extrinseco, & qua proinde non posset dari majus in ratione mali, sicque vel formaliter vel eminenter contineret omnem malitiam possibilem.

Malitia infinita secundum quid in ratione malitiæ, est ea, quæ indivisibiliter superat malitias alias inferioris ordinis plures & plures, ac graviiores & graviiores in infinitum; non quia plures & plures, ac graviiores & graviiores in infinitum habet gradus malitiæ, virtualiter divisibiles, sed quia est superioris ordinis, ad quem alias, quantumcumque multiplicentur, non possunt pertingere; vel, si vis, quia habet quandam, ut ita loquar, in ratione mali excellentiam, qua infinito intervallo excedit, non divisibiliter, sed indivisibiliter, malitias alias alterius ordinis, & quæ in se simpliciter tamen finita est, quia in suo ordine habet terminum extrinsecum, cum ab aliis ejusdem ordinis superari possit. Unde non dicitur, nisi secundum quid, & cum addito di-

Ad 2. mi.

minuente infinita. Infinitum enim simpliciter in perfectione vel quasi perfectione dicitur illud solum & omne, quod caret termino extrinseco: ita ut nihil sit assignabile, quod in eadem ratione ultra illud vel extendatur vel intendatur, ut patet v. gr. in quolibet Christi merito.

RESPONSIO.

Peccatum mortale, etiam quia gravis est offensae Dei, & quidam contemptus illius, non habet malitiam simpliciter infinitam.

Prob. Nam infinitum simpliciter in ratione mali debet habere gradus malitiae plures & plures in infinitum virtualiter divisibiles; sive, quod idem est, debet ita continere omnem malitiam possibilem, ut nihil dari possit majus in ratione mali. Quod enim habet gradus malitiae numero finitos, finitum est in ratione mali; & illud infinitum esse simpliciter in ratione mali repugnat, quod in ratione mali superari potest, quodque proinde in ratione mali terminum habet extrinsecum, extra quem non extenditur vel intenditur in ratione mali, ut per se manifestum est. Atqui nullum mortale peccatum est, etiam quia gravis est offensae Dei, & quidam contemptus illius, quod habeat plures & plures in infinitum gradus malitiae, sive quod ita contineat omnem malitiam possibilem, ut non possit dari aliud majus in ratione mali; cum homo peccare possit mortaliter cum perfectiori semper ac perfectiori cognitione Dei, cum perfectiori semper ac perfectiori cognitione malitiae peccati, proindeque cum pleniori semper ac pleniori deliberatione. Ergo, &c.

Confirm. Si peccatum mortale, ut est gravis offensae & contemptus Dei, haberet malitiam simpliciter infinitam, malitia theologica esset aequalis in omnibus mortalibus; nam si non esset aequalis in omnibus, esset major in uno, & minor in alio, proindeque finita esset in aliquo, in eo scilicet, in quo esset minor. Eo ipso enim, quod aliquid minus est, superatur ab alio, quod majus est; & eo ipso, quod superatur, terminum habet extrinsecum, extra quem non extenditur vel intenditur, & ita finitum est. Atqui falsum est, quod malitia theologica aequalis sit in omnibus mortalibus, ut patet v. g. in homicidio, adulterio, & simplici fornicatione: nam homicidium gravius quam adulterium, & adulterium gravius quam simplex fornicatio, offendit Deum. Ergo, &c.

Confirm. adhuc. Si peccatum mortale, ut est gravis offensae & contemptus Dei, habet malitiam simpliciter infinitam, malitia theologica in eodem mortali semper esset eadem, nec posset crescere: infinitum enim simpliciter majus esse non potest in ea ratione, in qua simpliciter infinitum est; quia quicquid majus esse potest, habet terminum extrinsecum, ultra quem extendi vel intendi potest, & ita finitum est. Atqui in eodem mortali malitia theologica crescere potest, crescente scilicet cognitione Dei & malitiae. Ergo, &c.

Obj. 1. Per peccatum mortale graviter offenditur & contemnitur persona infinite digna. Ergo ratio offensae & contemptus in peccato mortali habet malitiam simpliciter infinitam. *Neg. conseq. Probabis.* Malitia offensae crescit eadem proportionem, qua crescit dignitas personae graviter offensae. Ergo si persona graviter offensae sit infinite digna, malitia offensae est infinita. *R. dist. ant.* Malitia offensae crescit eadem proportionem, qua, &c. si persona, quae graviter offenditur, cognoscitur cognitione perfecta, & sibi adequata, C. ant. Si cognoscitur cognitione tantum imperfecta, & sibi inadeguata, & eo imperfectiore, ac sibi inadeguatiore, quod magis crescit ejus dignitas, N. ant. Deus autem cum ab homine graviter offenditur, non offenditur cum cognitione perfecta, & sibi adequata, sed cum cognitione imperfecta, & sibi inadeguata, imò cum cognitione eo imperfectiore, & sibi inadeguatiore, quod major est dignitas ejus. Unde cum dignitas ejus sit infinita simpliciter, ab homine mortaliter peccante non offenditur, nisi

cum cognitione infinite distante à modo illum perfecte & adequatè cognoscendi.

Homine igitur Deum quantumlibet graviter offendente, malitia offensae nec crescit, nec crescere potest eadem proportionem, qua crescit dignitas Dei; imò nec crescit, aut crescere potest cum certa proportionem, sed solum incremento proportionaliter decresciente. Unde sit quidem, ut propter infinitam simpliciter dignitatem Dei graviter offensus, malitia peccati mortalis sit superioris cujusdam ordinis, ad quem pertingere non possunt malitiae offensarum contra creaturas, aut peccatorum venialium, etiam in infinitum crescentes: at non est, nec esse potest infinita simpliciter, quia non habet, nec habere potest gradus in infinitum plures & plures in ratione mali, virtualiter divisibiles, sic ut sive formaliter sive eminenter contineat omnem quasi perfectionem in ratione mali possibilem, & termino extrinseco careat. Ad hoc enim necessarium esset, ut cresceret cum eadem proportionem, qua crescit dignitas Dei graviter offensus, proindeque ut tanta esset in ratione mali, quanta est excellentia divina in ratione boni.

Dices. Dignitas Dei graviter offensus, suo modo infuit secundum totam suam excellentiam in gravitatem offensae. Ergo infinita simpliciter gravitatem offensae. *R. neg. ant.* Ad hoc enim ut secundum totam suam excellentiam suo modo influeret in gravitatem offensae, necessarium esset, ut cognosceretur cognitione perfecta & sibi adequata. At ab homine mortaliter peccante cognoscitur cognitione tantum imperfecta, & sibi inadeguata, imò infinite distante ab ejus adaequatione, & qua proinde, ut ita loquar, modificatur & temperatur ejus activitas objectiva, quae sic modificata & temperata, non valet, nec valere potest, nisi ad constituendam gravitatem offensae in superiori quodam ordine, ad quem pertingere non possunt graves offensae creaturarum, & leves offensae Dei, etiam si crescant in infinitum.

Dices. Malitia peccati mortalis habet mensuram simpliciter infinitam, nempe dignitatem Dei graviter offensus. Ergo est simpliciter infinita. *R. neg. ant.* Nam Dei graviter offensus dignitas, cognita imperfectè tantum & inadeguatè, & eo imperfectius, ac inadeguatiùs, quod excellentior est, est quidem mensura superioris cujusdam ordinis; at non est mensura infinita, sed finita simpliciter in eo ordine. Unde peccato mortali nec tribuit, nec tribuere potest, nisi malitiam simpliciter finitam in eo superiori ordine, in quo illud constituitur.

Obj. 2. Quilibet gravis offensae Dei superat infinitis gradibus quamlibet gravem offensam creaturae; nam inter gravem quamlibet offensam creaturae, & quamlibet gravem offensam Dei, possibiles sunt offensae creaturarum graviores & graviores in infinitum, quarum nulla pertingere potest ad malitiam gravis offensae Dei. Ergo quilibet gravis offensae Dei est infinita simpliciter in ratione mali. *R. neg. ant.* Nam quilibet gravis offensae Dei quamlibet gravem offensam creaturae superat quidem infinito intervallo, ut patet ex probatione; at non superat infinitis gradibus, etiam virtualiter tantum distinctis, nec infinito intervallo superat illam divisibiliter, seu per gradus virtualiter divisibiles, sed indivisibiliter, per quandam scilicet quasi excellentiam, quam habet in ratione mali. Sicut Angelus v. g. muscam superat infinito intervallo, non infinitis gradibus, nec superat divisibiliter, seu per gradus perfectionis plures & plures in infinitum, virtualiter divisibiles, sed indivisibiliter per quandam perfectionis excellentiam, in se quidem simpliciter finitam, sed simul superioris cujusdam ordinis, ad quem non valent pertingere creaturae aliae possibiles, & musca perfectiores ac perfectiores in infinitum.

Obj. 3. Quilibet actus Christi meritorius, quamvis in se finitus, accipiebat valorem simpliciter infinitum à persona Christi, quia est persona infinita simpliciter excellentiae. Ergo pariter peccatum mortale, quamvis in se finitum, accipit malitiam simpliciter infinitam à persona quae graviter offenditur; cum sit persona infinita simpliciter excellentiae. *R. in hoc argumen-*

to malè comparari vim meritoriam actionum Christi cum malitia peccati mortalis: ad summum enim comparari potest bonitas actionum Christi cum malitia peccati: quæ comparatio nobis non nocet, sed magis illustrat doctrinam nostram. Nam sicut actiones Christi, quamvis sint actiones personæ infinitæ simpliciter excellentiæ, habent tamen bonitatem finitam; ita peccatum mortale, licet sit gravis offensa personæ infinitæ simpliciter excellentiæ, habet tamen malitiam simpliciter finitam.

Obj. 4. Peccatum mortale repugnat perfectionibus divinis numero infinitis. Item homo, quantum in se est, destruit Deum, constituendo finem suum ultimum in creatura. Item peccatum mortale est omnibus aliis malis possibilibus detestabilius, & obligatio illius vitandi est infinita. Item quod majora ab aliquo beneficia accepta sunt, vel sperantur, eo gravior est ejus offensa: Sed beneficia, quæ à Deo accepta sunt, vel sperantur, sunt infinita. Item peccatum mortale infert Deo damnum infinitum: nam aufert honorem ejus, qui est infinitus. Item si peccatum mortale non habet malitiam simpliciter infinitam, finire tantum excedit peccatum veniale, & ita non potest mereri poenam æternam.

R. ad 1. peccatum mortale, si repugnat omnibus perfectionibus divinis, repugnare cognitis imperfectè tantum & inadæquatè, atque eò imperfectius & inadæquatiùs, quod plures sunt & majores; ac proinde peccatum mortale ex eo, quod repugnet omnibus perfectionibus divinis, habere non posse malitiam simpliciter infinitam.

R. ad 2. hominem sive formaliter sive interpretativè constituendo finem suum ultimum in creatura, non destruere Deum, quantum in se est, sed solum illum contemnere, & quidem finire.

R. ad 3. ad hoc ut peccatum mortale sit detestabilius omnibus aliis malis possibilibus, satis esse, quod sit in superiori quodam ordine ad illa, ac proinde quod sit infinitum secundum quid & virtualiter. Homo autem habet obligationem vitandi peccatum mortale infinitam tantum secundum quid & virtualiter, seu obligationem superioris cujusdam ordinis, omnem aliam obligationem possibilem, non divisibiliter, sed indivisibiliter excedentem. Unde nulla alia obligatio possibilis potest illam adæquare, nedum illi prævalere.

R. ad 4. beneficia omnia, quæ homo accipit, vel sperat à Deo, esse simpliciter finita, & aliqua secundum quid & virtualiter infinita.

R. ad 5. damnum, propriè loquendo, non posse Deo inferri, quia Deus propriè loquendo damnum pari non potest; & honorem extrinsecum, qui Deo tollitur per peccatum, esse finitum simpliciter.

R. ad 6. peccatum mortale quamvis non habeat malitiam simpliciter infinitam, infinito tamen intervallo, non quidem divisibiliter, sed indivisibiliter superare peccatum veniale, cujus malitia, etiam in infinitum crescat, non potest perungere ad malitiam peccati mortalis. Mirum igitur non est, quod peccatum veniale nec poenam æternam, nec privationem gratiæ mereri possit, sicut utramque meretur peccatum mortale, cujus malitia quantumvis in se finita, infinitè tamen semper excedit malitiam peccati venialis, quantumcumque supponatur crescere.

Obj. 3. Quælibet gravis offensa Dei est infinitè vituperabilis & punibilis. Ergo quælibet gravis offensa Dei habet malitiam simpliciter infinitam. *R. dist. ant.* Quælibet gravis offensa Dei est vituperabilis & punibilis infinitè secundum quid & virtualiter. *C. ant.* Infinitè simpliciter. *N. ant.* & conseq. Itaque quælibet gravis offensa Dei habet vituperabilitatem & punibilitatem infinitam secundum quid virtualiter, quatenus vituperabilitas & punibilitas ejus est in superiori quodam ordine, ad quem perungere non possunt vituperabilitas & punibilitas gravium offensarum contra creaturas, aut etiam venialium offensarum contra Deum, etiam in infinitum crescant. Ratio est, quia imputabilitas cujuslibet gravis offensa Dei ad

Simonnet Theol. Tom. I.

vituperium & poenam, est in eodem ordine, in quo est malitia gravis offensa Dei; proindeque sicut quælibet gravis offensa Dei est in superiori ordine, ad quem perungere non possunt graves offensa contra creaturas, aut etiam veniales offensa contra Deum, etiam in infinitum crescant; ita imputabilitas ad vituperium & poenam cujuslibet gravis offensa Dei est in superiori ordine, ad quem perungere non potest imputabilitas ad vituperium & poenam gravium offensarum contra creaturas, aut etiam venialium contra Deum, etiam in infinitum crescat in infinitum.

Item sicut quælibet gravis offensa Dei, non quidem divisibiliter, sed indivisibiliter superat malitiam gravium offensarum contra creaturas, aut etiam venialium contra Deum, plurius & plurius, & majorum ac majorum in infinitum; ita imputabilitas ad vituperium & poenam cujuslibet gravis offensa Dei, non quidem divisibiliter, sed indivisibiliter superat imputabilitatem ad vituperium & poenam gravium offensarum contra creaturas, aut etiam venialium contra Deum, plurius ac plurius, & majorum ac majorum in infinitum. Est igitur infinita secundum quid & virtualiter, quatenus est in eodem illo ordine, in quo est Dei offensa gravis, cujus est imputabilitas.

Sicut autem quælibet gravis offensa Dei in ratione offensa & contemptus Dei finita est simpliciter, quia nulla est, quæ in hac ratione non habeat terminum extrinsecum, cum nulla sit assignabilis, quæ in hac ratione non possit ab alia superari; ita quælibet in ratione imputabilis ad vituperium & poenam simpliciter finita est, quia nulla est, quæ in ratione imputabilis non habeat terminum extrinsecum; cum nulla sit assignabilis, quæ in ratione imputabilis ab alia superari non possit.

Et verò in quælibet gravi offensa Dei imputabilitas ad vituperium & poenam commensuratur rationi offensa. Nam offensa ad vituperium & poenam imputabilis est, quia est offensa, & in tali ordine imputabilis est, quia est offensa talis ordinis. Ergo sicut in superiori illo ordine, in quo est gravis offensa Dei, gravitas offensa potest esse major vel minor, & nulla tanta esse potest, ut non possit ipsa aut alia esse major; ita in eodem illo ordine imputabilitas ad vituperium & poenam potest esse major vel minor, & nulla tanta esse potest, ut ipsa vel alia major esse non possit. Nulla igitur esse potest gravis offensa Dei, quæ non habeat finitam simpliciter imputabilitatem ad vituperium & poenam, seu, quod idem est, quæ non habeat finitam simpliciter vituperabilitatem & punibilitatem; & ita nulla esse potest gravis offensa Dei, quæ vituperationem & poenam simpliciter finitam mereatur.

Dices. Ex natura rei quælibet gravis offensa meretur poenam commensuratum dignitati personæ graviter offensa; ita ut dignitas personæ graviter offensa sit mensura poenæ debitæ actui, quo graviter offensa est. Ergo cum dignitas Dei sit infinita simpliciter excellentiæ, quælibet gravis offensa Dei meretur poenam simpliciter infinitam. *R. dist. ant.* Ex natura rei quælibet gravis offensa meretur, &c. si dignitas personæ graviter offensa perfectè & adæquatè cognoscitur. *C. ant.* tunc enim dignitas personæ graviter offensa se totam objectivè refundit in malitiam offensa, & consequenter in ejus imputabilitatem ad vituperium & poenam, proindeque secundum totam suam excellentiam utriusque mensura est. Si dignitas personæ graviter offensa imperfectè tantum & inadæquatè, & eò imperfectius ac inadæquatiùs, quod major est ejus excellentiæ, *N. ant.* tunc enim dignitas personæ graviter offensa non se refundit objectivè secundum totam suam excellentiam in imputabilitatem actus, quo graviter offenditur, sicut nec in malitiam offensa & contemptus, quia in utramque non se refundit, nisi pro modo cognitionis, qua imperfectè tantum & inadæquatè cognoscitur; & ita non est utriusque mensura secundum suam excellentiam, nisi ut modificatam & temperatam

De 3 ratam

ratam per modum illum cognoscendi imperfectum & inadæquatum.

Itaque nego conseq. Nam dignitas Dei graviter offensi per peccatum mortale, non cognoscitur nisi imperfecte & inadæquate ab homine mortaliter peccante; unde non infinite sed finite tantum se obiectivè refundit in imputabilitatem, sicut & in malitiam offensæ; & ita peccatum mortale mereri non potest pœnam adæquamam ejus excellentiæ, nec proinde simpliciter infinitam.

Nota. Dignitas Dei graviter offensi, perfecte & adæquate cognita secundum totam suam excellentiam, se obiectivè refunderet in malitiam gravis offensæ, & imputabilitatem illius, & ita esset utraque simpliciter infinita, quia utraque haberet mensuram sui simpliciter infinitam. At dignitas Dei graviter offensi, cognita tantum imperfecte & inadæquate, atque eò imperfectius & inadæquatus, quò excellentior est, in malitiam gravis offensæ & ejus imputabilitatem non se refundit obiectivè, nisi pro modo illo, quo cognoscitur, & quo quasi modificatur & temperatur. Unde licet propter infinitam simpliciter excellentiam suam sit mensura superioris ordinis, est tamen simpliciter finita in illo ordine, & ita malitiæ offensæ & ejus imputabilitati non potest obiectivè tribuere, nisi ut sint secundum quid & virtualiter infinita, utramque in superiori quodam ordine constituendo, in quo utraque simpliciter finita sit; proindeque non potest obiectivè tribuere peccato mortali, nisi vim merendi pœnam superioris ordinis, hoc est, pœnam excedentem pœnas gravium offensarum contra creaturas, aut levium contra Deum, etiam in infinitum crescentes; excedentem, inquam, non per plures & plures in infinitum gradus acerbioris, sed per quandam sui in ratione pœnæ excellentiam, in suo ordine simpliciter finitam, & per ejusdem ordinis majores superabilem.

Dices. Quilibet gravis offensa Dei meretur pœnam magnam relatè ad dignitatem Dei. At sola pœna simpliciter infinita magna est relatè ad dignitatem Dei. Ergo, &c. *R. dist. maj.* Quilibet gravis offensa Dei meretur pœnam magnam relatè ad dignitatem Dei simpliciter & absolute sumptam, N. maj. Sumptam secundum quid, & cum addito diminuen- te, hoc est, relatè ad dignitatem Dei, ut cognitam cognitione imperfecta & inadæquata, imò & infinite distante ab ejus excellentia, C. maj. At pœna simpliciter finita potest esse magna etiam relatè ad dignitatem Dei sic sumptam, modò sit superioris cujusdam ordinis, qualis est pœna damni & sensus, æternum duratura. Unde neg. conseq.

Dices. Quilibet actiones Christi meritorie accipiebant à dignitate Verbi infinitam simpliciter æstimabilitatem, & vim meritoriam. Ergo quilibet gravis offensa Dei accipit à dignitate Dei graviter offensi vim demeritoriam infinitam simpliciter, seu, quod idem est, vim meritoriam pœnæ simpliciter infinite. *R. neg. conseq.* Ratio disparitatis est, quia dignitas infinita Verbi sese totam refundebat moraliter in actiones humanitatis ejus: unde eas infinite simpliciter dignificabat. Non enim moraliter sese refundebat in illas medio aliquo, à quo modificaretur & temperaretur moralis ejus activitas, sed media sola unione hypostatice, qua fiebat ut humanitas Christi esset natura Verbi, & consequenter ut actiones humanitatis Christi essent actiones Verbi. Non poterant autem actiones humanitatis Christi esse actiones Verbi, quin hoc ipso in æstimatione morali haberent infinitam simpliciter æstimabilitatem, & vim meritoriam. At dignitas Dei graviter offensi non se refundit in actum, quo graviter offenditur, nisi per modum obiecti cognitum imperfecte & inadæquate, imò eò imperfectius & inadæquatus, quò major est: unde non se refundit secundum totam suam excellentiam, vel, si vis, non se refundit secundum suam excellentiam, nisi ut modificatam & temperatam per modum, quo imperfecte & inadæquate cognoscitur; & ita non refundit se infinite, nisi se-

cundum quid & virtualiter. Et verò eo tantum casu sese secundum totam suam excellentiam, ac proinde infinite simpliciter refunderet in gravem Dei offensam, quo perfecte & adæquate cognosceretur. Unde sola gravis offensa Dei, perfecte & adæquate cogniti, posset habere & haberet malitiam simpliciter infinitam, & consequenter infinitam simpliciter vituperabilitatem & punibilitatem.

Dices. Quilibet gravis offensa Dei meretur pœnam magnam relatè ad vilitatem respectivam hominis mortaliter peccantis. Ergo meretur pœnam simpliciter infinitam; cum vilitas hominis respectiva sit simpliciter infinita, quia tanta est, quanta dignitas Dei, cui opponitur, & quæ ipsius mensura est. Ergo quilibet gravis offensa Dei accipit vim demerendi simpliciter infinitam saltem à vilitate respectiva hominis: sicut quilibet actiones Christi meritorie accipiebant vim simpliciter infinitam merendi à dignitate Verbi, quia merebantur premium magnum relatè ad dignitatem Verbi, quæ simpliciter infinita est.

R. neg. conseq. Ratio negandi est, quia hoc ipso quòd vilitas illa hominis non absoluta est, sed respectiva, magnitudinis pœnæ, quæ gravi offensæ Dei debetur, mensuram, non seorsim à dignitate Dei graviter offensi, sed simpliciter indivisibiliter cum illa constituit, & quidem ut imperfectè tantum & inadæquate cognita; proindeque quamlibet gravem offensam Dei mereri pœnam magnam relatè ad vilitatem respectivam hominis, in se nihil aliud est, quam eam mereri pœnam magnam relatè ad dignitatem Dei non simpliciter & absolute sumptam, sed ut modificatam & temperatam per modum illum, quo imperfecte & inadæquate cognoscitur.

Declaratur amplius. Quia vilitas illa respectiva, simpliciter infinita, quæ homini attribuitur, vel chymica est, vel aliquid positivum in homine moraliter tantum, seu denominatio physice extrinseca homini, ac proinde ei moraliter tantum intrinseca, resultans ex infinita simpliciter dignitate, qua Deus eminet homini: ita ut homo in æstimatione morali eatenus sit infinite simpliciter vilis respectivè ad Deum, quatenus Deus infinite simpliciter excellit homini.

Et verò vilitatem illam respectivam, simpliciter infinitam, si habet homo, vel habet à gradu entis, quem obtinet, vel à carentia illuminationis in omni genere perfectionis, vel denique ab infinita simpliciter excellentia Dei. Non primum. Nam ab illo gradu non vilitatem, sed dignitatem accipit, quia ipse pluribus & pluribus in infinitum entibus indivisibiliter eminet. Non secundum: quia ab illa carentia habet tantum negationem dignitatis simpliciter infinite. Superest igitur ut illam habeat moraliter ab infinita simpliciter excellentia illa, qua Deus pluribus & pluribus, ac perfectioribus in infinitum entibus divisibiliter, seu per plures & plures in infinitum gradus virtualiter divisibiles eminet, & quacum cujuslibet creaturæ excellentia comparata, in æstimatione morali infinite simpliciter vilis est. Hominem igitur esse infinite simpliciter vilem respectivè ad Deum, in re nihil aliud est, quam Deum infinite simpliciter excellere homini; proindeque quamlibet gravem Dei offensam mereri pœnam magnam relatè ad vilitatem respectivam hominis, in re nihil aliud est, quam eam mereri pœnam magnam relatè ad excellentiam seu dignitatem Dei.

Nulla igitur est paritas sumpta ex actionibus Christi, & persona Verbi illas dignificante. Nam dignitas Verbi est aliquid reale intrinsecum Verbo, per se infinite simpliciter dignificativum actionum naturæ, cujus Verbum suppositum est. Nec obesse potest, quòd actiones illæ sint totidem obsequia, exhibita à Christo Patri æterno, cujus dignitas pariter infinita est simpliciter. Dignitas enim personæ remunerantis non minuit æstimabilitatem & valorem obsequiorum exhibitorum præsertim à persona æqualis excellentiæ: nam tunc potius valet ad augendum utrumque; quia tunc persona remunerans in remun-

